


Adolf Friedrich Fuchs

**De Religionibus Quomodo Melius Dici Possint Positivae : Quaestio Qua Praemissa Ut Adesse Velint Examini D. XXVIII. XXVIII. Et XXX. Sept. In Gymnasio Gvstroviensi ...**

Rostochii: Excudebat Christianus Müller, 1795

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1759444294>

Druck Freier  Zugang



DE RELIGIONIBVS  
QVOMODO MELIVS DICI POSSINT  
POSITIVAE.

---

QVAESTIO  
QVA PRAEMISSA  
VT ADESSE VELINT  
EXAMINI

D. XXVIII. XXVIII. ET XXX. SEPT.

IN  
GYMNASIO GVSTROVIENSI  
INSTITVENDO  
PATRONOS AC FAVTORES  
REI SCHOLASTICAE

INVITAT ATQVE ROGAT  
ADOLPHVS FRIDERICVS  
FVCHS

RECTOR ET PROFESSOR.

---

ROSTOCHII,

EXCVDEBAT CHRISTIANVS MÜLLER.

1795.



DE RELIGIONIBVS  
VOM COMELIVS DICTOSINVS  
POSITIVVS

OVAMINO

QVA PRAMISSA

T A D R E S S E V B L I N T

# EXAMINI

D. XXVND XXVIII T. XXX SEPT.



GYMNASIO

PATRONO

INDICAT

ADOLPHVS PAULIENSIS

PROFESSOR

ROSTOCK

CHRISTIANVS MÜLLER

*Quid in religione melius dicatur  
positivum?*

**I**ta quaesisse, quum in liberaliori, quae nostris temporibus floret, studiorum ratione, nequaquam debeat illiberale videri, etiamsi, qui iniecerit hanc quaestionem, eam minus apte solvat; omissis, quibus lectorum conciliari gratia solet, ad rem ipsam, sine mora, ita pergam, ut, exposito, qui in hoc verbo hactenus obtinuerit, usu loquendi, novam, quam ego voci subiectam velim, significationem subiungam, paucisque, quorum ea res pertineat, ostendam.

In voce ipsa, ut inde ordiar, duplicem agnosco significatum; quorum alter recentior est, atque non hodie tantum viget, sed et his ipsis quasi temporibus inventus, iisque attemperatus videtur; alter vero, temporis iamiam quodammodo iniuriam passus, in iis tantummodo libris occurrit, qui aut ipsis illis superioribus aetatibus originem debent, aut earum saltem rationem sequuntur: idemque rursus apud Romanenses alius est, alius apud Protestantes.

Primam si quis vocis investigare originem velit, ad Romanenses illorum temporum ascendant, quibus in ecclesiae parte sacra expurgata. Scilicet vigeat apud eos adhuc illa barbaries, quae sub nomine philosophiae theologiam christianam prope suffocaverat; imo florebat passim viri, qui, quidquid in theologia quaeri ac disputari solet, solis philosophiae subtilitatibus putarent dissolvi posse. At eodem tempore, quum reformatores meliorem ostendissent rationem theologiam docendi, non pauci in his ipsis, qui in prisca remanserant disciplina, exfliterunt viri, qui, intuentes admirantesque Nostratum rationem, similem auderent ingredi viam, capita theologiae christianae e sacris literis eruendo, in subsidiumque meliorum temporum scriptores vocando. Sic exorta est methodus a vulgari prorsus diversa; quam ut nomine quoque distinguerent, theologiam, quae hoc modo tradebatur, *positivam* dixere, quum haecenus usitata *scholastica* diceretur.

Fuerunt, inquit Buddeus, Isagog. Libr. poster. Cap. I. §. 1., qui, reiectis Scholasticorum ratiociniis et philosophicis, quibus theologiam obruerant, disputationibus, veteris ecclesiae docto-

doctorum pressius sequi vestigia, et ex horum tantum monumentis dogmata derivare theologica, consultum duxerunt. Atque hinc discrimen illud, apud Romanenses usitatum, inter theologiam *positivam* et *scholasticam* exortum est.

Itemque Libr. post. Cap. III. §. 9. post ecclesiae emendationem, a beato Lutero susceptam, ortamque simul novam meliorum literarum lucem, nonnulli quidem ex romanae ecclesiae addictis theologiam scholasticam emendare, elegantiorique eam ornare velle, ut errores tamen et dogmata, ecclesiae romanae propria, retinerent, conati sunt; alii autem consultius duxerunt, ex antiquitatis ecclesiasticae fontibus patrumque effatis, nova theologiae systemata condere. Atque hinc ortum apud eos est discrimen inter theologiam *scholasticam* et *positivam*.

Apud Protestantes longe aliter se res habet. His principio omnis theologia christiana fuit *positiva*. Invaluit quidem, quum coepissent theoreticam partem a practica separare, mos, illam, quatenus methodo acroamatica tradetur, sub nomine *theticae* s. *positivae* theologiae,

giae, *moralis* s. *practicae* opponere. Nusquam vero inuenio, protestantium theologorum quemquam ausum, aliam, praeter christianam theologiam, *positivam* vocare. Causa, ni fallor, haec est. Statuebant, in theologia christiana plurima capita esse, quae non nisi a libera Dei institutione penderent, quum in naturali omnia necessaria essent. Iam quum poenas vocarent *positivas*, non quae naturali modo peccata sequerentur, sed quae irrogarentur divini legislatoris voluntate; quis miretur, eos simili ratione et theologiae christianae impertivisse *positivae* nomen; imo, nullam aliam praeter hanc, eo insigniendam iudicasse \*).

Sensim denique res eo pervenit, ut, quidquid in religione (nam ad hanc hodie potissimum illud nomen trahunt) ita comparatum est, ut non ex ratione cognosci possit, sed alio quocumque, divino humanove principio nitatur, cum Protestantibus Romanenses *positivum* vocent.

E Protestantibus ut unum saltem alterumve adferam, *Schmidius* in philosophia morali \*\*) religio-

\*) Conf. Buddei Theol. dogmat. Lib. I. §. 52.

\*\*) pag. 95.

religionem *positivam* dicit esse, quae caeca rerum naturae vires exsuperantium fide nitatur, nulla habita ingeniorum, scilicet quid ea ferant, quidve illis probabile videatur, ratione. Eundemque in commentariis theologis, quos *Haenlein* et *Annon*, viri clarissimi, edunt, auctor sequitur illius quaestionis, qua, utrum religio christiana *positiva* dicenda sit, investigatur \*). In quo hoc facile quisque videbit, definitionem horum virorum ea, quam nos attulimus, adeo angustiorem esse, ut in religionem christianam non quadret. At vero hoc quoque intelligo, plurimos in hac re ita mecum facturos esse, ut in illa latiori definitione subsistere malint. Etenim quid communius est, quam ita dici: *Omnem tollere religionem positivam*? Quid communius, quam si illud dicatur, in numerum sublatarum religionum et christianam referri? Unde, mea quidem sententia, sole clarius patet, conceptum positivae religionis ita formandum esse, ut sub eo christiana quoque comprehendatur, et angustiioribus quisquis, quod positivum dicitur, finibus includat, eum, licet probaverit, christianam

) ( 4

religio-

\*) Part. 1. partic. 2. pag. 91.

religionem a positivis diversam esse, sane nihil probasse illis, qui usitatum retineant loquendi usum.

Iam si propter ea, quae attulimus, quisque concedet, cum ceteris omnibus religionibus christianam quoque, quatenus ea, ut sit christiana, non ex ratione cognosci potest, naturali religioni, quae sola nititur ratione, opponi; itemque, quatenus quae dicuntur *positivae* religiones, non nisi ex revelatione divina, sive ea vera sit, sive per errorem pro tali habeatur, oriri possunt, sub *revelatarum* nomine a *naturali* recte distingui. Ut ad id, quod nobis propositum est, propius accedamus, quem fugit, cum in revelatis religionibus, tum in naturali, *subiective* spectatis, hoc est, quatenus quamcumque quisque sibi informaverit, tantam diversitatem esse, ut, quae eiusdem generis sint, saepius vix se invicem agnoscant. Concedendum quidem est, et in illis potissimum religionibus locum habere, quae auctoritate nituntur; at vero fatebimur quoque, in ipsa naturali religione eiusdem rei frequentissima vestigia adesse. Sane libri scribendi sunt, si quis lites illas leviter tantummodo attingere velit.

velit. Contra ea, pax et concordia summa est, si res *in univsum* spectetur. Nam nemo dubitabit, tam naturam, quam revelationem, eam nimirum, qua Christiani fidunt, religionis saluberrima principia praeberere. Omnis diffensio tum demum emergit, ubi, quid ratio, quid revelatio doceat, speciatim inquiritur. Quid? si hunc duplicem respectum pressius sequi, temporum ratio suadeat? Quid? si eum sub *universalis s. absolutae et positivae* religionis nomine comprehendere libeat?

Sed fortasse res, nisi subtilius, clarius tamen dici potest. Quare quemque supponimus, si sit praeditus sana mente, duce natura, illud facile intellecturum, et esse Deum, et hominum in officiis esse, colere eundem; ex quo praevia quaedam naturalis erga Deum reverentia oriatur. Supponimus porro, si quis argumenta cognoverit, quibus divina nititur auctoritas Christianismi, inde simili ratione etiam erga hunc reverentiam s. praeparationem quandam animi ad recipiendam religionem christianam oriri. At in rerum quoque natura illud positum, ut vires, si semel excitatae sint, non facile subsistant. Quam ob rem si quis, duce

) 5

natura,

natura, cognoverit, esse Deum, facere non poterit, quin de modo quoque, quo ille colendus sit, secum conveniat. Itemque si quis perspexerit, religionem, quam Christus docuit, esse veram et divinam, idem, qualis ea sit, pariter scire cupiet, eiusque certam formam animo concipiet.

Sive, quod idem est, omnis religio spectari potest tamquam perpetuum obiectum, in quo exerceri iudicium possit. Sed cogitari quoque potest, singulos homines secum convenisse, quomodo, quae de Deo sciri possunt, ad eius cultum adplicare harumque rerum scientia animi sui tranquillitatem adminiculari velint. Cogitari potest, ipsas hominum societates inter se convenisse, quibus formulis ad colendam religionem excitari velint.

Iam quae religio ita comparata est, ut, qualis ea sit, apud quemque constet, eam *positivam* adpellari placet. Quae vero formulis nondum comprehensa sit, sed eas tantummodo quasi suspicetur, atque in primis indubitatis principiis subsistat, eam dixerim *absolutam*; ita, ut non christiana tantum, ceteraeque religiones, quae auctoritate nituntur, sed et ipsa

natura-

naturalis, diverso respectu, *absoluta* et *positiva* dici possit.

His expositis, reliquum est, ut, quorsum ea res pertineat, paucis ostendam. Atque sane ad quem eam potius accommodem, quam ad eos, qui, contemplantes theologorum nostri temporis molimina, et tristissima quaeque ominantur, et de ipsa religione christiana actum putant. Hi, si in religione, quemadmodum ego docui, inter *positivum* et *absolutum* distinguere adfuescant, observentque, in naturali quoque religione omni tempore innumeras formas exortas esse, propter quas tamen ipsa et adhuc duret, et in posterum duratura videatur, formas quoque religionis christianae securiori animo adspicient. Humanum discent esse, ut res ipsa adprobetur, modus autem rei et verbis et cogitatione varietur.

Maximum quidem intelligent periculum religioni christianae ab iis imminere, qui eius divinam originem infringere videantur. Sed ad ipsam illam quaestionem, quatenus religio, quam Christus instituit, divina dicenda sit, diverse scient absque malitia responderi posse, adeoque non abnuent, in his fere verbis, quibus

bus Christus dicit: *Unus est magister vester; vos vero fratres* \*), Christianismi basin collocari. Suam quidem, propter Christum, fidem retinebunt; sed quid, propter eundem Christum, alii credant, de eo non iudicabunt, memores illius apostolici effati: *Tu quis es, ut servum damnes alienum? Suo domino aut stat, aut cadit. Sed forsitan et consistet; nam Deus potius est, ut eum stabiliat* \*\*). Itemque, *Tu, cur iudicas fratrem tuum? aut etiam, cur despicias eum? nam omnes sistemur ante tribunal Christi* \*\*\*). Quidquid igitur ad interpretationem christianae religionis pertinet, ad *positivam* eius partem referent; *absolutam* sola illa persuasione comprehendent, Christum, ut ipsi fides habeatur, atque ex eius institutione homines Deum colant, omnium dignissimum esse.

Isque sensus, quo magis divulgetur, etiam si relinquuntur Evangelicorum, Reformationum aliorumque nomina, tamen sensim illud tempus adpropinquabit, quo Apostolus animo prospiciebat futurum esse, *ut perveniamus omnes*

\*) Matth. XXIII, 8. 10.

\*\*) Rom. XIV, 4.

\*\*\*) Rom. XIV, 10.

ad

ad unitatem fidei et agnitionis filii Dei \*). Sententiarum explicatione sane hoc numquam fiet; at sic potest, si, sepositis, quae cuique propriae sunt, opinionibus, in hoc conveniamus, ut salvatoris nostri laudem omnimode celebrandam ducamus.

Protulit *Semlerus*, vir doctissimus, suo tempore aliam religionis descriptionem, *historicam a sociali atque morali* distinguendo. Sed haec ad theologos propius pertinebat, quorum ius atque officium vir celeberrimus illa distinctione explicare volebat. Ea, quam nos proposuimus, ad universos spectat, scilicet ut concordiam, et quod tolerantiam dissentientium dicunt, promoveat. Adest quidem antiqua quoque divisio articulorum fidei christianae, qua alii *fundamentales*, alii *non fundamentales*, et illorum rursus quidam *primarii*, quidam *secundarii* vocantur. Verum enim vero haec non ad concordiam fecisse, quis est, qui ignoret? Idemque de illa distinctione dicendum, qua religionis christianae quaedam *essentialium*, alia *non essentialium* nomine insigniuntur. Quis enim est tam ignarus rerum humanarum,

\*) Eph. IV, 13.

ut non, quod huic essentialia videatur, ab alio ad solam formam referri intelligat?

Nostra vero ita comparata est divisio, ut ad absolutam religionem paucissimae propositiones referantur, de quibus inter homines facile conveniat, reliqua vero omnia, in quibus multa *essentialia* esse possint, *positivae* tradantur.

Video equidem adhuc multa superesse, quae, ut materia quodammodo ad finem deducatur, saltem attingere debebam. Sed et hoc idem intelligo, maiorem eorum partem altioris indaginis, imo tanti momenti esse, ut, si attingantur tantum, non vero ad ubertatem explicentur, melius omittantur.

Quare ad id me converto, propter quod, quae praemissa sunt, scripsi. Indicandum nimirum mihi erat, *d. XXVIII. XXVIII. et XXX. Septembris*, hora solita locoque consueto, studiosam huius Gymnasii iuventutem, quid didicerit, quomodo instituta sit, publico examine professuram esse. Huic igitur aelui ut, cum ceteris *fautoribus* atque *amicis* rei scholasticae, ipsi quoque iuvenum *parentes* atque propinqui frequentes interesse velint, omni, qua par est, humanitate etiam atque etiam rogamus. Quibus

Quibus subiungo, duos tantummodo hoc termino iuvenes ad altiora studia abituros esse: unus est *Fridericus Christianus Schmidt, Campsfensis*, alter *Ludovicus Joannes Guilielmus Boldt, Vitegestensis*; quorum ille theologiae, hic prudentiae iuris operam dabit.

Sequitur

## Ordo Examinis.

### Dies Lunae.

#### Ante meridiem.

- 1) Rector actui praefatur oratione latina.
- 2) Prima religionis classis.
- 3) Prima mathematica.
- 4) Prima latina.
- 5) *Oratio*. Assiduitatem in obeundis negotiis sua secum praemia ferre: *J. F. Gu. Bölcow*.

#### Post meridiem.

- 1) Secunda religionis classis.
- 2) Secunda latina.
- 3) Secunda historiae naturalis.
- 4) Secunda graeca.
- 5) Prima historica.

Dies

## Dies Martis.

## Ante meridiem.

- 1) Tertia religionis classis.
- 2) Tertia latina et pars quartae lat.
- 3) Tertia historiae naturalis.
- 4) Prima gallica.
- 5) Technologica.

## Post meridiem.

- 1) Quarta religionis classis.
- 2) Quinta latina cum parte quartae lat.
- 3) Secunda geographica.
- 4) Tertia graeca.
- 5) Secunda gallica.


## Dies Mercurii.

## Ante meridiem.

- 1) Oratio. De aesthetica arte, quae theologiae studiosis non satis commendari possit. *F. C. Schmidt.*
- 2) Prima hebraica.
- 3) Historia literaria.
- 4) Prima graeca.
- 5) Oratio. De amicitia. *F. H. Fargow.*
- 6) Schema translocationis cum legibus scholae.



Dies



the scale towards document

pax et concordia summa est, spectetur. Nam nemo dum, quam revelationem, eam Christiani fidunt, religionis pia praebere. Omnis diffinitio emergit, ubi, quid ratio, doceat, speciatim inquiritur. Duplicem respectum pressius ratio suadeat? Quid? si eum *absolutae* et *positivae* religionis comprehendere libeat? Quare quemque supponimus, in mente, duce natura, illud esse, et esse Deum, et hominem, colere eundem; ex quo naturalis erga Deum reverentia, non minus porro, si quis arguatur, quibus divina nititur auctoritas, inde simili ratione etiam praeparationem quantum ad suscipiendam religionem christiana rerum quoque natura illud, si semel excitatae sint, non Quam ob rem si quis, duce natura,

X 5